



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De collegiatis domibus. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

varijs in locis constituentur Oblatorum contortia: quibus singulis præpositi singuli, de quibus infra suo loco dicitur, a Reuerendissimo Archiepiscopo deligendi præerunt.

Quæ igitur ad omnium istiusmodi domorum, & familiarum distinctionem, & propriam Oblatorum in illis viuendi rationem pertinent; sigillatim hoc libro comprehenduntur.

Quæ verò illarum, vniuersæque adeo congregationis procuracionem, gubernacionem, administrationemque complectentur; ex præscriptionibus & constitutionibus ipsius congregationis vberius sumere oportet: Cum præsertim nihil eorum, quæ ad singulorum Oblatorum institutum pertinent, pars illa contineat: Sed ea tantum tradat, quæ scire illos oportet, qui Oblatorum gubernacioni, eorumque congregationi præsunt.

De collegiatis domibus. Cap. II.

Oblatorum congregationis in perpetuum quasi basis sit Ecclesia sancti Sepulcri, eiusdemque domus Prepositus, quasi caput: Huic vero Capiti, atque vniuersæ huic Congregationi regenda, rebusque omnibus quæ ad illam pertinent, gubernandis, Reuerendissimus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis præsit.

Porrò autè Ecclesiâ sancti Sepulcri his potissimè rationibus deligere placuit. Nam & iam pridem a populo Mediolanensi magna veneratione illa colitur: & in media ciuitate constructa, quasi Umbilicus iacet: & superiorum temporum malitia, cum dilapsa cleri disciplina, deprauatisque populi moribus, ratio pietas appareret; tum veneranda ista ecclesia perpetua pietatis & religionis femina seruaui: quandoquidem in hanc per pauci recepti sacerdotes, viri integerrimæ vitæ, salutisque Animarum studiosissimi, præstantissima pietatis opera indefessi semper ediderunt: inter cæteraque institutum scholæ Christianæ celeberrimum in multas partes primi disseminarunt.

Liceat verò semper Reuerendissimo Archiepiscopo alias etiam collegiatis hu-

iusmodi domos, præter illam sancti Sepulcri, huius congregationis quasi membra & in Ciuitate & Diocesi constitutæ: si modò aliunde certus victus illis in perpetuum assignetur; qui sustentationi eorum qui ibidem comorantur sunt, sufficiat. Sintque qui illic habitaturi sunt Oblati, decem, vel octo saltem numero.

Quò si hædes etiam nonnullas, tanquam Oblatorum hospitia, qui ad functiones pro sui instituti ratione in Diocesi præstandas, aliæ de causa mittuntur, constituere decreuerit Archiepiscopus; his & Oblatorum numerum qui ad illas diuertant, & sumptuum rationem atque summam, pro sua voluntate decernere poterit; prout animarum Diocesis salutis, & congregationis disciplinæ conseruandæ conducere cognouerit.

Hæc tamen duo Archiepiscopi successores nostri in primis pro prudentiæ suæ ratione diligenter animaduertent: quorum vnum est, præstare Oblatorum numerum, redditusque ipsos domus sancti Sepulcri augere, quam plures in ciuitate collegiatis domos ad vsum Oblatorum erigere ac constituere: Alterum verò, neque plures domus sancti Sepulcri, alijsve collegiatis huiusmodi domibus, quam illarum sumptu alii possint, adscribendos esse oblatos; neque ad viuendum sunt necessaria, illis desint: neque etiam iusto numero pauciores; vt ad huiusmodi Ecclesiæ administrationem plures habeantur ministri.

In ædibus igitur sancti Sepulcri, alijsque istiusmodi deinceps erigendis, habitent oblatores omnes, diaconatus saltem ordine insigniti, beneficiumque quod residendi manus requirit, non obtinentes.

At verò illi omnes excipiantur, qui Reuerendissimi Archiepiscopi iussu, vel apud illos manent; qui beneficia residendi oneri subiecta habentes, vitam communiter degunt; vel in pijs Collegijs, domibusve Seminariorum, aut alijs etiam locis, in quibus literarum studijs opera datur, commorantur; vel in diuersas Ciuitatis Diocesi sue partes missi, multiplicia Congregationis ge-

non manera; aut denique ex causa ab Archiepiscopo probata, per facultatem ab eodem scriptis traditam ad breue aliquod tempus abfint.

Hos quidem enim omnes a domo sancti Sepulcri, aliisque eius generis collegiatis aedibus ob eas causas abesse liceat.

Oblati in aedibus sancti Sepulcri vel huiusmodi comorantes, victu communi vtantur: praescriptiones eisdem aedibus datas, viuendi normam atque rationem complectentes, diligenter custodiant.

Quod si horum alicui patrimonium, beneficium ve Ecclesiasticum simplex, vel quoduis aliud facultatum genus fuerit, vnde suppeditari victus possit, ipsi, vel illarum aedium familiam qua cum vna viuunt, quantum sumptus, qui pro illis sit, requirit, subleuent, iustamque propterea ex facultatum suarum fructibus portionem conferant, magnopere persuasum esse cupimus.

Eorum nemini liceat, in bonorum suorum, aut beneficiorum, aut negotiorum rationibus administrandis, litibus per se aut alijs rebus incumbere, quae congregationis instituto non conueniant, & spiritualis vitae progressioni, salutisque aliorum procurandae officiant.

At haec omnia fiant (si modò fieri possunt) vel a congregationis procuratore, vel ab alio, quem ipsi Oblati deligere maluerint, nisi ob iustam causam aliquam huiusmodi rerum tractandarum facultatem Oblatis ad tempus tradiderit Archiepiscopus.

Sed & illi quoque in illis ipsis collegiatis aedibus Reuerendissimi Archiepiscopi iussu habitare permittantur Oblati, qui residenti muneri alligatum beneficium non habentes, quamquam neque Diaconatus ordinem susceperunt, neque ea trate sunt, vt suscipere eum liceat; tamen ad diuinum cultum, domesticave negotia illius Ecclesiae domusve collegiatae necessarii sunt.

Porro autem ex Oblatorum numero, qui beneficium Ecclesiasticum obtinet residenti munus adiunctum habens, nullis omnino; etiam si bonorum suorum subiectionem Reuerendissimo Archiepiscopo vouerit, domui sancti Sepul-

cri; aut alijs eiusmodi is posterum constitutendis, neque adiungatur, adscribatur ve, neque fructibus earum alatur, neque demum in illis commoretur.

At contra, quicumque Oblatorum neque Ecclesiasticum beneficium obtinet, neque patrimonium, quod ad sumptus necessarios satis sit; ij ad titularem mensam communis domus sancti Sepulcri, vel aliarum huiusmodi, sacris ordinibus initientur: neque inde quoque alantur, nisi illis quidem Seminatum sumptu, vel alia ratione prouisa fuerit.

Quod si illorum victui tamen aliunde quacunque ratione consultum fuerit, vel quantum satis est Archiepiscopi iudicio, vel aliqua ex parte; illinc mensam communi parcentes, vt ex Pontificijs literis declaratur, victum capiant.

Communis autem mensa sumptibus, vt supra traditum est, alantur, non solum qui commemorati sunt, sed illi etiam maxime, qui votum paupertatis Archiepiscopo ritè nuncuparint: ac illi praeterea in vniuersum, qui quauis ratione mensam illi a Reuerendissimo Archiepiscopo adscripti sunt.

Cui quidem Archiepiscopo etiam illos adscribere liceat, qui sacris ordinibus iam initiati, aliunde etiam habent vnde viuant; si modò beneficium officiove residendi munus adiunctum habente careant.

De domibus conaictorum. Cap. III.

Vbiunque in Canonicalibus Ecclesijs tres saltem oblatores, beneficium, cui residendi munus sit annexum, habeant, ideoque illic eis habitandum sit; hi ex congregationis instituto, Archiepiscopi iudicio ad simul viuendum se conferant; cum scilicet illic, vel plurius datur copia domum quae contiguae sint, vel vna saltem adeo ampla, vt illos omnes excipere possit.

Hoc idem faciendum erit, si in eodem oppido tres saltem Oblatores erant: nisi eorum cohabitatione vicusque communione, impediri functiones ad Ecclesias pertinetes quibus illi adscripti sunt.

Re.